

# Pio Ciprotti

---

## Quid ex iure comparato de errore circa personam in matrimonio disci possit ad ius canonicum emendandum

---

Prawo Kanoniczne : kwartalnik prawno-historyczny 20/3-4, 167-176

---

1977

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](http://bazhum.muzhp.pl), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

PIUS CIPROTTI

**QUID EX IURE COMPARATO DE ERRORE CIRCA PERSONAM IN  
MATRIMONIO DISCI POSSIT AD IUS CANONICUM EMENDANDUM**

**1. Praemittenda**

Notum est in Schemate documenti pontificii, quo disciplina canonica de sacramentis recognoscitur, mense Februario anni 1975 editum, quaedam nova inesse de errore in persona, quod attinet ad matrimonii nullitatem. Nova autem duo praesertim sunt:

- a) abolitus est error circa statum servitutis;
- b) admissus est generatim error circa aliquam alterius partis qualitatem, quae nata sit ad consortium vitae coniugalis graviter perturbandum, si error eiusmodi proveniat ex alio dolo ad obtinendum consensum patratum (cann. 299—300 Schematis).

De propositis vigentis iuris emandationibus disserens P. Petrus Huizing, Relator, haec scripsit: „Diu deliberatum est utrum introducendus esset defectus consensus ex dolo proveniens. Tandem unanimi consensu coetus pervenit ad conclusionem defectum consensus ex dolo proveniente in novo iure esse admittendum. Attamen graves statuendae sunt condiciones, scilicet ut dolus patratum fuerit ad obtinendum consensum matrimonialem; ut dolus versetur circa qualitatem alterius partis et quidem circa talem qualitatem compartis, quae nata est ad consortium vitae coniugalis graviter perturbandum.

Nihil refert utrum talis dolus patratum sit a parte contrahenda an ab alia persona. Inter Consultores aliquantisper disceptatum est de motivo nullitatis matrimonii ex dolo contracti, aliis timentibus id iniustitiae doli tribuendum esse, aliis, vero, vitio libertatis consensus ex dolo derivanti”<sup>1</sup>.

De extendenda norma de matrimonii nullitate etiam ad alios erroris casus, praeter translaticios, praesertim si ageretur de errore qui ex alio dolo proveniret, diu disputatum est in iure canonico, sed frequentius post annum 1960<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Communicationes III, 1971, pp. 76—77.

<sup>2</sup> Cfr. Hobza, *Betrug bei der Eheschliessung*, in Arch. f. kathol. Kirchenr. 88, 1908, pp. 66—97, 230—272; H. Flatten, *Quomodo matrimonium contrahentes iure canonico contra dolum tutandi sint*, Köln 1961; P. Fedele, *Il dolo nel matrimonio canonico, Ius vetus e ius*

Nunc autem, post editum Schema, iam magis concrete, ut ita dicam, quaeri potest et utrum expediat ut in iure canonico casus nullitatis propter errorem augeantur, et utrum norma in Schemate proposita probanda sit necne.

Ante omnia, utique, oporteret, ad iudicium rite ferendum, normam in Schemate propositam interpretari; quod tamen specialem dissertationem fortasse exigeret, et hic fieri satis adaequate non posset. Id unum igitur mihi liceat animadvertere: haud facile ex verbis in Schemate adhibitis dispici posse utrum auctores voluerint eum tantum dolum considerare dispici, qui „causam det” matrimonio, an etiam dolum illum incidentem; verba enim „Qui matrimonium in initio deceptus dolo” per se non expriment dolum, qui causam det matrimonio, sed tantummodo dolum, qui comitatur matrimonialem consensum<sup>3</sup>, cum contra in Relatione, ut vidimus, sermo sit de defectu consensus producat, ideoque de dolo qui aliquid influat in consensum. Multo melius autem esset, si canonis verba ita redigerentur, ut hoc dubium penitus auferretur.

Ut de hac materia recte in iure canonico omnia perpendi possint, valde utile esse videtur indagare quid civilis iuris doctores senserint, quidque legislatores civiles statuerint. Minime quidem, quod canonistae vel Ecclesiae legislator in materia de consensu matrimoniali debeant laicis iurisperitis et legislatoribus pro magistris uti, quandoquidem Ecclesiae leges et doctrinam in hac re per multa saecula omnes acceperunt, et ipsi civiles legislatores, qui normas de matrimonio fere in odium Ecclesiae saeculo XIX tulerunt, eas leges abunde imitati sunt; sed quia difficultates et scopula, in quae civiles legislatores inciderunt quotiescumque ab Ecclesiastica traditione aberrare voluerunt, multa docere possunt etiam canonistis, sive quod attinet ad substantiam normarum ferendarum, sive (multo plus fortasse) quod attinet ad formam et technicam, quam vocant, redigendorum canonum.

Schema autem, quod proponitur, de sacramentis sane a complurium saeculorum traditione recedit, quod attinet ad errorem circa personam in re matrimoniali; ab Ecclesiae quidem traditione recedit, et ad quorundam civilium legislatorum rationes accedit, qui errorem considerarunt etiam praeter casum erroris circa alterius

---

*condendum*, in *Apolinaris* 40 (1967) pp. 277—326 (ibi copiose indicatur litteratura vetus et recens); V. De Reina, *Error qualitatis dolose causatus*, ibid. pp. 325—357; ac praeterea *Annali di dottrina e giurisprudenza canonica*, II, *Il dolo nel consenso matrimoniale*, Città del Vaticano 1972.

<sup>3</sup> Eo magis ita intellegi possunt Schematis verba, quod exprimitur doli aliud requisitum, quod nempe sit ad obtinendum consensum patratum; haec autem interpretatio confirmatur ex diversitate formulae adhibitae de metu („matrimonium in initio ob vim vel metum gravem”), et etiam ex eo quod omnino contra dolo proveniens vel non, causam non dederit consensui.

contrahentis identitatem, ac praeterea (pauci quidem) alios quoque casus considerarunt, si error ex alicuius dolo proveniret.

Verum ipsi civiles legislatores et civilis iuris periti valde dubii sunt, utrum expediat ita casus invaliditatis matrimonii extendere, quamvis in iure civili non proprie de nullitate agatur, sed de annullabilitate, eaque sanabili. Rationes autem dubitandi plures sunt: quod in matrimonio fere numquam deest aliquid error, neque semper eius momentum et pondus in futuram vitam coniugalem ex circumstantiarum gravitate, circa quas versatur, licet dimentiri; quod facile est, praeter errorem circa personae identitatem, contendere et falsis probationibus demonstrare errorem adfuisse, ita ut, admissa hac invaliditatis causa, iam nuptiarum stabilitas evanescat.

Plures sunt dubitationes, si ad dolum respiciamus. „En mariage il trompe qui peut”, scripserat Loysel, iam saeculo XVI<sup>4</sup>. Sed, etiam reiecta huiusmodi peremptoria sententia, certum est difficile saepe esse distinguere inter dolum verum, id est calliditatem et fallaciam ad decipiendum et circumveniendum alterum, et levio-rem illam calliditatem quae in omnibus negotiis adhiberi solet, sicut mercatores faciunt venales merces laudantes.

Ceterum, si casus doli praevideat legislator, qui iam non comprehendantur norma de errore (secus inutilis est norma de dolo), re demonstrat se non ideo statuisse eam normam de matrimonii invaliditate quod voluit protegere ac tutari liberam et conscientem voluntatis formationem in contrahentibus; si enim id voluisset, in iisdem casibus debuisset matrimonii invaliditatem statuere, etiamsi non de dolo ageretur, sed de errore ab alia causa proveniente. Cur igitur statuitur norma de dolo? quia, ut dicitur in relatione, quam supra attuli, in dolo inest iniustitia!

Id autem duplici modo potest intellegi: debet puniri iniustitia, vel debet deceptus ab iniustitia protegi. Atqui iusta iniustitiae punitio per nullitatem matrimonii fortasse haberetur tantummodo si alter contrahens fuerit doli auctor et ipse non vult ut matrimonium sit nullum; protectio autem alterutrius contrahentis, quae potest alteri (qui potens esse innocens) damnum inferre, eadem ratione facienda videtur, si ipse sine sua culpa, vel fortasse ex alterius partis culpa, in errorem inciderit sine ullo cuiusquam dolo.

Breviter autem videamus quid civiles legislatores de errore et dolo in matrimonio statuerint.

## 2. Error circa personam in iure civili

Dum *codex civilis Gallicus* parabatur, multa disceptata sunt circa normam statuendam de errore, sive simplici sive ex dolo, cum nonnulli propensi essent ad nullitatem matrimonii propter solum

<sup>4</sup> *Institutes coutumières*, lib. II, tit. 3, n. 3.

errorem circa physicam alterius contrahentis identitatem statuendam, alii etiam propter errorem circa nonnullas eius qualitates; tandem formula parum perspicua adhibita est: „erreur dans le personne” (art. 180), quam relator (Portalis) stricte interpretatus est de errore circa physicam identitatem (secundum canonici iuris traditionem et secundum doctrinam in **Pandectis** a Pothier traditam), alii autem intellexerunt uti formulam indeterminatam, a iurisprudentia secundum casuum circumstantias determinandam.

Gallica autem doctrina et iurisprudentia (itemque Belgica) varias secuta est interpretationes; praevaluit interpretatio de errore circa physicam vel „civilem” personae identitatem, civili identitate ita intellecta, ut „omnia complectatur, quae ad civilem personae statum (uxaratus an caelebs sit an divortiatas, prolem habeat an non, cuius civitatis sit civis etc.) attineant.

Formulam a gallico legislatore adhibitam complures receperunt legislatores saeculo XIX, nonnulli autem etiam saeculo XX; in recentioribus commemoro *codices familiae Bolivianum* anni 1972 (art. 86) et *Cubanum* anni 1975 (art. 45 n. 2). In nonnullis civitatibus easdem interpretationis varietates invenimus — utique propter influxum doctrinae et iurisprudentiae gallicae — quas in Gallia<sup>5</sup>.

Nonnulli autem legislatores, etsi gallicam formulam adhibent, aliquam addunt declarationem ad interpretationem definiendam: ita fit, diversa tamen ratione, in *codice civili Regni Duarum Siliarum*, qui ex anno 1819 ad 1865 viguit, art. 154, et in *legibus Jugoslavicus*, de quibus mox sermo redibit.

Alii legislatores formulam gallicam aliquantum mutarunt, ne dubiis locus daretur, vel errorem circa identitatem physicam tantummodo admittentes (ita *codex familiae Romanicus* anni 1954—1956, qui tamen ample admittit matrimonii annullabilitatem propter dolum), vel errorem circa civilem identitatem (ita lex anni 1964 in *Côte d’Ivoire*), vel etiam generatim circa identitatem. Hi autem, qui de errore circa identitatem loquuntur, non potuerunt impedire ne illae interpretationes, quas in Gallia vidimus, de identitate civili vel aliis similibus, proponerentur passim et reciperentur<sup>6</sup>.

Haud pauci autem legislatores multo plures casus erroris considerare voluerunt ad nuptiarum invaliditatem statuendam, illas

<sup>5</sup> Cfr. A. Ehrenzweig, *System des Österr. allg. Privatrechts*, II<sup>6</sup>, Wien 1924, pp. 45—49 (at vigenti austriaco iure, ut mox videbimus, aliter res se habent).

<sup>6</sup> In Graecia tamen auctores interpretantur art. 1374 codicis civilis de solo errore circa physica identitate (cfr. K. A. Vavoukos, *Encheiridion astikoû dikaiou*, Athenai 1971, pp. 276 s.); ita erat etiam iure praecedenti, sed praeterea matrimonium habebatur annullabile, si dolum adfuisset de essentialibus alterius contrahentis qualitibus (cfr. I. D. Zepos, *Astikós Kōdix*, Athenai 1930, pp. 200 s. e 208).

doctorum accipientes sententias, qui a caeteris iuridicis negotiis ad coniugium extendunt notiones de errore essentiali, de errore vel dolo causam danti, aliasque huius generis. Hos autem legistatores videmus, ad id consequendum, interdum determinatos recensere casus, in quibus solis habetur matrimonii nullitas, interdum autem generalioribus locutionibus casuum classes designare, vel additis exemplis vel nullo addito exemplo.

Generalem autem locutiones, quibus legistatores uti solent ad erroris (vel doli) classes designandas, duarum sunt specierum: vel tales errores, enim designant, qui matrimonio causam dederunt, vel tales errores, quibus detectis non potest rationabiliter exigi ut quis permaneat in coniugali consortio, saepius autem, qui huius alterius speciei locutiones adhibent legistatores simul exigunt ut error causam dederit.

Nonnulla hic praestat exempla perspicere ex legibus, quae generaliores eiusmodi locutiones adhibuerunt.

Formula, quae postulat ut error causam dederit matrimonio, primus usus est *codex generalis Borussicus* (anni 1794), qui loquitur de errore „in solchen persönlichen Eigenschaften, welche bei Schliessung einer Ehe von dieser Art vorausgesetzt zu werden pflegen” (in parte II, tit. I, § 40). Similem viam secutus est legislator germanicus in § 1333 *codicis civilis*, et postea in lege de matrimonio, d. 6 Jul. 1938 lata (adhuc in Austria vigenti), et in lege diei 20 Febr. 1946, mutata tamen aliquantū norma quoties nova lex est lata.

Formula vero, quae praeterea et impossibilitatem postulat exigendi ut errans, postquam errorem detexerit, in vita coniugali permaneat, *legislator Helveticus* usus est (art. 124 *codicis civilis*), et nonnulli alii, in quibus *legislator Jugoslavicus*, qui exempla nonnulla affert (permanens gravis morbi periculum, habitus contra naturam, impotentiam, condemnationem propter delicta contra bonos mores, mulieris praegnationem per alium virum, inhonestam artem)<sup>7</sup>. *Codex civilis Guatimalensis* anni 1964 formulam complevit, considerans non solum ignorationem defectuum, qui vitam communem tolerari non sinant, sed etiam eorum defectuum, qui periculo proli sint („o constituya un peligro para la prole”: art. 146).

Aliae autem legislationes, ut dixi, praeter errorem circa personae identitatem, considerant tantum singulos quosdam casus erroris circa qualitatem. Ita, praeter ius canonicum vigens (can. 1083), fuit *codex civilis austriacus*, qui de muliere alius viri opera praegnantis cavet (§ 58; cfr. etiam § 95); ita etiam fuit *lex Sueciae* anni 1920, quae de nonnullis morbis cavet. His legibus adnumerandae sunt

<sup>7</sup> Ita leges Jugoslaviae annorum 1946 (art. 17) et 1965 (art. 15), quae adhuc viget in Bosnia et Hercegovina, in Cratia, in Slovenia; et etiam leges recentiores, quae latae sunt in Serbia (art. 5), in Montenigro (art. 12), in Macedonia (art. 9), in Vojvodina (art. 10), in Kosovo (art. 2).

vae quoque, quae substantialem quidem errorem vel essentialem postulant, sed aliquod tantum casus eiusmodi erroris admittunt: in his enim legibus casus, quibus matrimonium irritum fieri potest propter errorem, tam sunt determinati quam in illis. Ita se habent *codex civilis Brasiliensis* (art. 219), *codex civilis Peruviansis* (art. 147), *codex civilis Aethiopicus* (art. 590—591 et 618), *codex civilis Lusitanicus* (art. 1636—1637), *nova lex Italica* anni 1975 n. 151 (art. 17, qui mutavit art. 122 codicis civilis).

Peculiarem etiam considerare debemus difficultatem, quae iis legislatoribus est solvenda, qui errorem „causam dantem” considerant, sive generatim sive in quibusdam tantum casibus ab ipso legislatore definitis. Difficultas est in hoc, quod, „causam dans” potest vel significatione omnino subiectiva. intellegi, ita ut tantummodo ad statum animi eius, qui erravit, sit respiciendum, vel contra significatione aliquo modo obiectiva, ita ut communem et rationi consentaneum aestimationis sensum perpendere debeamus. priorem rationem, quae arbitria quaelibet in lege applicanda permittere potest, post nonnullas dubitationes secutus est *legislator Italicus* („non avrebbe prestato il suo consenso se le avesse esattamente conosciute”), alteram *legislator Germanicus* („die ihn bei Kenntnis der Sachlage und bei verständiger Würdigung des Wesens der Ehe von der Eingehung der Ehe abgehalten haben würden”) <sup>8</sup>.

### 3. Error ex dolo proveniens in iure civili

Dolum tamquam vitium matrimonialis consensus paucae tantum leges considerant, ut iam dixi. Ex iis, sicut vidimus de errore, nonnullae generalem tantum formulam adhibent ad designandum dolum, quo matrimonium fit invalidum, nonnullae vero casus singulos recensent. Nec tamen unaquaeque lex eandem semper servat rationem de dolo, quam de errore qui e dolo non proveniat. Nam, e. g. *Helveticus codex*, qui generaliori formula indicat errorem, dolum in duobus tantum casibus admittit (art. 125); contra autem fecit *lex Suecica* anni 1920.

Sunt autem leges, quae, praeter errorem de identitate, solum dolum admittunt, non autem alias erroris species: ita est *Iaponicus* (art. 747), ita fuit *codex civilis Sinensis* anni 1930 (art. 997), ita est *codex Insularum Philippinarum* (art. 85—86, casus determinatos recensens) <sup>9</sup>, ita est lex in Suecia nunc vigens, die 13 Dec. 1968

<sup>8</sup> Ita fuit in codice civili (§ 1333) et nunc est in lege anni 1946 (§ 32); magis ad obiectivam rationem est lex anni 1938 (§ 37), nunc in Austria tantum vigens, quae pro „verständiger” habet „richtig”. In quodam schemate novae legis Italicae ratio respectus obiectivi habebatur, quod attinet ad errorem ex dolo proveniente.

<sup>9</sup> Immo vero codex ille Sinensis et codex Philippinarum de errore, qui non proveniat ex dolo omnino silent.

lata, ita etiam *codex familiae Romanicus* (art. 21). Lex autem *Indica* de matrimonio Hindu (*Hindu marriage Act 1955*, sect. 12) et de iis matrimoniis, quae „specialia” dicuntur (*Special marriage Act 1954*, sect. 25), dolum quidem admittit, non autem errorem circa identitatem, sed, sicut dixi, tantummodo errorem circa mulieris praegnationem.

Dixi nonnullas leges ad designandum dolum generalem tantum formulam adhibere. Verum sunt leges, quae adeo generalem adhibent formulam, ut res videatur fere remitti ad iudicis prudens arbitrium, nisi tamen — quod profundiore studio debet investigari — doctrina et iurisprudencia quoadmodo rem determinent<sup>10</sup>; ita leges, quas commemoravi, *Romanica*, *Iaponica*, *Guatimalensis*.

Quod attinet ad errorem ex dolo proveniente, peculiaris est quaestio legislatoribus aggredienda et solvenda: utrum videlicet dolus considerandus sit a quocumque inferatur, an tantummodo si ab altero contrahente vel saltem eo sciente.

Quaestio poni potest etiamsi si de dolo ex mero silentio vel occultatione (qui dolus interdum commemoratur a legislatoribus) agatur: nam his quoque casibus, quaeri potest utrum dolus considerandus silentium vel occultatio versetur circa circumstantiam alteri parti omnino ignotam, ita ut altera ea pars non possit de dolo argui.

Quaestio haec, quae item de metu et de omnibus iuridicis negotiis fieri potest, aliter ab aliis legislatoribus solvitur. Sunt etiam legislatores, qui in nonnullis casibus solum dolum ab altera parte factum vel ei notum considerant, in aliis vero dolum quemlibet (e. g. *cod. civ. Helvet. art. 125 n.l et m. 2*).

Verum, uti patet, si dolus consideretur, prout omnino debet considerari, tamquam causa quae effecit ut voluntas haud regulari ratione efformata sit, non videtur quo modo et cur possit distingui inter dolum ab altera parte proveniente et dolum ab alio factum, cum in utroque casu idem sit voluntatis vitium. Aliter statuere significaret matrimonii invaliditatem statuere non ad protegendam decepti voluntatem, sed ad puniendum doli auctorem; quae esset pessima ratio agendi in legislatore. Atqui, ut iam dixi, ipsa distinctio inter errorem simplicem et errorem ex dolo proveniente eodem vitio afficitur.

#### 4. Formula generalis an casuum recensio?

Si ad legislativam technicam, quam vocant, nunc inspiciamus, ut diiudicemus utra melior sit via, generalem videlicet adhibere

<sup>10</sup> Vetus *codex civilis Lustanicus* anni 1867 nihil quidem determinabat de dolo (et etiam de errore) quod attinet ad matrimonium; verum ad *Ecclesiae canones* remittebat, si de matrimonio canonico ageretur, ad *normas* autem de contractibus, si de matrimonio civili (art. 1070, 1072, 1086).



formulam ad errorem (simplicem vel ex dolo) determinandum an vero singulos recensere casus, nemo sane dubitet priorem viam magis conformem esse translaticis moribus et regulis, quae ab legislatoribus recentioribus ex excultioribus servari solent.

Atqui non semper in iure ferendo accidit ut, quod cum theoreticis principiis congruat, id iustitiae et communi bono maxime respondeat; propterea Romani saepe docuerunt legislatorem aliquid contra rationem iuris „utilitatis causa” statuuisse. Quod autem attinet ad normas de errore in matrimonio, sive agitur de errore qui ex dolo proveniat sive de alio errore, maxime timendum est ne, si legislator generali formula utatur, incertitudines et arbitria maximum habeant locum, ita ut matrimonii stabilitas omnino corruat. Civiles autem legislatores permulti, cum divortium sui legibus admittant, fortasse incertitudines eiusmodi et arbitria nihili facient; eos tamen imitari non potest Ecclesia.

Si autem non generalis formula adhibeatur, sed casuum recensio, incommodum utique habebitur in hoc, quod fortasse non omnes casus, quos recensere expediat, includentur; sed huic incommodo et antea occurri potest rem mature perpendendo, et postea alios casus, si omnino necessarium videatur, addendo. Summum autem erit commodum, quod incertitudines et arbitria ad minimum reducuntur. Idque adeo verum est, ut casuum enumerationes in hac re etiam in perfectioribus quibusdam legibus, uti sunt codices civiles *Brasiliensis*, *Peruviensis*, *Aethiopicus*, *Lusitanicus*, et *nova lex Italica de familia*, et etiam (sed de dolo tantum, contra de errore) *codex Helveticus*; casuum autem enumerationis utilitatem sane illi quoque perspexisse videntur legislatores, qui ut *Jugoslavicus*, generalem quidem formulam adhibuerunt, casuum tamen exempla addiderunt.

##### 5. Leges, quae de his rebus silent

Extra meam tractationem sunt collocandae, sed praestat tamen commemorare, eas leges, quae neque de errore neque de dolo in matrimonio cavent: eiusmodi sunt *codex civilis Potoricanus* anni 1930, *codices familiae Iordanicus* anni 1951, *Polonicus* anni 1964, *Bulgaricus* anni 1968, *Principia fundamentalia iuris Sovietici de familia* anni 1968, *codex familiae Reipublicae Democraticae Germanisae* anni 1965, et *codex Statuti personalis Marocensis* anni 1957. Harum legum quaedam, ut *Portoricensis*, *Iordanica* et *Bulgarica* metu statuunt invalidum effici matrimonium; ceterae ne hoc quidem voluntatis vitium considerant. *Codex Marocensis* fortasse inutile habuit de errore vel dolo cavere, cum divortium admittat propter vitium redhibitorium (art. 54).

Dixi eas leges esse extra materiam huius tractationis. Verum hoc non potest tuto dici, nisi perspicatur quid doctrina et iurispruden-

tia interpretentur: fieri enim potest ut in quibusdam civitatibus habeantur et in re matrimoniali pro iure suppletivo normae de contractibus, vel normae de negotiis iuridicis item valeant et de matrimonio. Haec autem quaestio diversa est in civitatibus, in quibus ius de familia non recensetur inter partes iuris „civilis”, et in civitatibus, in quibus civile sensu stricto et ius familiae in se habet <sup>11</sup>.

#### 6. Conclusiones, quod attinet ad schema futuri iuris canonici

Si nunc ex experientia quae e civili iure trahi potest, aliquid deducere velimus ad iudicium exprimendum circa propositum canonem de dolo in schemate de iure sacramentali Ecclesiae haec mihi animadvertere liceat:

a) non videtur rationi consentaneum, ut matrimonii nullitas statuatur si nonnulli erroris causus ex cuiusdam dolo proveniant, quando iidem erroris casus, si aliam habeant causam, matrimonium irritum non faciant; quod si hoc statuatur ad dolum puniendum — quod est profesto abnorme — tunc maxime est contra rationem id statuere quicumque est doli auctor, et etiam si alter contrahens (i. e. non deceptus) omnino est innocens, quasi liceat quemvis doli auctorem sive est delinquens sive stolidus) per matrimonii nullitatem, etiam cum damno partis innocentis, punire;

b) statuta autem — male quidem — hac nullitate, non videtur cur schema loquatur tantummodo de dolo „circa aliquam alterius partis qualitatem”, et non de cuiuslibet generis circumstantiis, quae idem habeant pondus, videlicet quae natae sint „ad consortium vitae coniugalis graviter perturbandum”;

c) in iure canonico non videtur admitti posse ut legislator talem statuatur nullitatem matrimonii, ut ante executivam iudicis sententiam nemo omnino possit scire, ne pro foro quidem interno, utrum matrimonium aliquod sit validum neque; quod sciri potest tantummodo si legislator errorem, praeter errorem in persona, tunc tantum statuatur efficere matrimonium irritum, cum versetur circa certas circumstantias ab ipso legislatore singillatim, idque verbis omnino determinatis, recensitas.

Contra ea, quae, in n. c. significavi, potest quidem opponi idem fere iam vigenti iure accidere quod attinet ad metum: indicatur enim metus a legislatore verbis generalioribus, ita ut non recensentur casus specifici, extra quos nulla de metu consideratio ha-

<sup>11</sup> Cfr. A. Wolter, *Prawo cywilne*, Warszawa 1970, pp. 22—25, 29—30; S. Grzybowski, *Prawo cywilne*, Warszawa 1974, pp. 15—16; J. Winiarz, *Prawo rodzinne*, Warszawa 1974, pp. 17—23, et, proprie de voluntatis vitiis in matrimonio, pp. 38—39. De iure sovyetico inspicere possunt art. 2 Principiorum fundamentalium de civili legislatione (d. 8 Decembr. 1961) et art. 7 Principiorum fundamentalium legislationis de matrimonio et familia (d. 27 Iun. 1968).

beat. Verum eadem non est ratio: normam enim de metu legislator in Ecclesia tunc tandem expressit, cum iam significationem omnino determinatam ex iuris romani usu habebat, ideoque nullam debitationi locum dare poterat, praeter eam same dubitationem quae in humanis rebus vitari non potest.

Aliud etiam dici potest de proposito canone 300, quod tamen non dependet ex comparatione cum civilibus legibus, ideoque fere extra dissertatiunculae materiam videtur: canon ille nempe postulat ut dolus sit ad obtinendum consensum patrat, cum in eodem schemate can. 304 metum considerat „etiam inconsulte incussum”, quia, uti legitur in Relatione iam supra indicata, „defectus libertatis in contrahente, qui metum patitur, idem est, sive metus incutitur intuitu matrimonii contrahendi sive cum alia intentione” (quod non videtur cur non valeat item de dolo).

Utile etiam est considerare quinam erroris casus a legislatoribus — qui non generalem formulam adhibent, sed casus enumerant — recenseantur.

Eiusmodi autem casus — quorum exempla nonnulla iam supra recensui — sunt praesertim: delictum vel condemnatio certae gravitatis; status civilis vel religio; ignominiosi mores vel artes; proles ex alio viro vel muliere habita, vel, si de muliere agatur, defectus virginitatis vel praegnatio; graviores nonnulli morbi (qui plerumque singillatim recensentur), qui vel contagiosi sunt vel hereditarii, vel impediunt proles generationem vel matrimonii summationem, vel gravem molestiam alteri contrahenti afferunt.

Haud arduum videtur esse posse, si in Ecclesiae legibus de matrimonio opportunum videatur extendere casus erroris circa personae identitatem, aliquid ex civilibus legibus imitari, ita tamen ut canon, qui extitit sit, normam det maxime determinatam et nec nimia incertitudine laboret.